

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.I.], 1711**

CXIV. Antiochi Epiphanis, tetterimi Tyranni funestus exitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

suis lauris immortuus est. Non antē timeri desīt,  
quam vivere. Unus ipse terror omnium, &  
formidabile belli fulmen. Ad piorum sedes tunc  
nobilis Umbra descendit, cūm nominis claritas,  
quō cresceret amplius, non haberet.

## NARRATIO CXIV. ANTIOCHI EPIPHANIS, TERRIMI TYRANNI, FUNESTUS EXITUS.

Ex lib. 1. Machab. cap. 6. & lib. 2.  
cap. 9. Anno Mundi 3891. ante  
Christum 162.

**H**unc plerumque finem sortitur superbia; dum  
nimium tumet, rumpitur. Mortalium om-  
nium, uti memoratum est scelestissimus *Anti-*  
*ochus*, auditis prosperis Iudae Machabaei successibus;  
relictis *Ecbatanis* Medorum urbe, cui imminebat, in  
Syriam, & hinc in Iudaeam festinare contendit. Ma-  
ledictis & exsecrationibus admiscens minas, jura-  
bat, Ierosolymam se redacturum in sepulcrorum  
congeriem. Cumque dictis hisce, tanquam ocyus  
eorum fidem expleturus currum, quo vehebatur  
agitari celeritate majore juberet aegrè comitibus ac  
peditat copiarum, properantis impetum assequen-  
tibus, res ita, Providentiae quoque cœlestis intercur-  
su, se tulit: ut belluarum una cæteris elephantisira-  
cundior, in agmine, ferocissimo cum stridore barri-  
ret

et ad vocis ejus insaniam terretur Antiochus, externantur equi regij: calcitrant impatienter: Antiochumque tandem, succussione continua, sedemotum excutiunt. Hunc (ut obesi corporis hominem) & lapsus impetu graviter, & mole membrorum longè gravius afflictum, allisimque cùm artibus omnibus contusus, exanimi similis jaceret; humo satellites erigunt, & gerulorum manibus, ac sellâ Babylonem versus deportare pergit, gestationis, motusque ægrè patientem: & dirissimus super viscerum tormentis excruciatum.

Corporis cruciamenti acriora superveniebant animi supplicia. Nam mortis vicinia præteritæ vitæ gestis diem dicebat: & hunc quidem omni caussidico destitutum. Ante palpitantis ergo memoriæ perspicaces oculos, cum exprobratione stabant tot Iudæorum millia, sine causa probabili trucidata. Stabant, Judæa pervastata; Ierosolyma flammis absumpta; Sionis arx per injuriam dominis suis erepta; Sacerrimum urbis, orbisque templum, omni contaminationis genere violatum: repti thesauri: pollutavi etiam Ara: divina librorum monumenta porcino cruento conspurcata, consicssa gladijs; abolita sacrilegis ignibus: ac Lycenus immortalis, extinctus & ablatus. Adhæc obversabantur angoribus illius immanitate plus quam Scythica torqueri, necarique jussus Eleazarus; precipitatæ de muris religiosissimæ viraginiæ; in cruce acti sacrorum suorum retinétes tot viri; proptérque fuliae recusatum usum, exquisitissimis afflitti, sublatique supplicijs, septem electi flores adolescentes, & eorum magnanima mater, in suis & Antiochia to-

ius oculis. Israëlis denique terra , tot immisis in tam bellis & exercitibus , bustum propemodùm & ruderetum , universa per ipsum facta : vix modicò nunc ab incolarum reliquijs erigi , reficie coepit.

Super haec autem omnia recordationem ejus infestabat , contemptus , exagitatusque Iudaæ Deus ; hinc omnium sibi malorum , quibus tunc premeretur origines ac promerita fluere . quibus aspellendis quidnam supererisset jam præsentius , efficaciusque , quam eundem illum , quem ad eum usque diem aspernatus ac persecutus esset , DEUM , placare nunc , & votis sibi demereri ? Judæorum autem tam Sacra , quam fortunas & jura quæ per nefas invasisset , integrum restituere , ablata templo vasa reddere ; victimarum statas impensas è fisco regio præbere ; Hebræos privilegijs libertatis , quibus Athenæ fruentur , donare : ipsum se ( si morbum & mortem evasisset ) Judæorum religioni addicere , & omnibus gentibus contestari , Iudaici DEI vires ac majestatem illum , illum , quem nemo videre possit , verum ac manifestum esse Deorum DEUM .

Quæ vota ac promissa cùm nec apud mortales tunc , nec apud immortales fidem reperissent : & si vel maximè sinceritatis vitiō carerent , solius tamen poenæ temporariæ fugiendæ spe concepta , nihil ingenuum spirarent , regi nequam , propitias æternæ Majestatis aures minimè conciliârunt . Pergebat gitur torquere DEI vindex ira . Supra patientiam omnem humanam excruciatyrannus : animum fatigant assiduus quidam , profundissimusque mœror , & imaginum horrificarum perpetua terricula menta ad amentiam usque . Corporis dolorem perpetuο

tempore crescentem exasperarunt in intestinis insuper  
enati vermes, & intra cutem sordes pediculares exor-  
tae. Quae pestes vehementissime rodendo, morien-  
dōque, tamdiu ventriosum exedebant abdōmen:  
donec aiffluentibus demum visceribus, cum carne  
rupta, dilapsaque exitum invenirent. Unde scutor  
egressus incredibilis; hoste quovis & gladiō poten-  
tiū circumstantes amicos, satellites, & exercitum  
fugabat: tam intolerabilis ad extremum, ut ipse se-  
metipsum Antiochus aversaretur ac fugeret.  
jam mors illi, pro qua depellenda tot vota nuncu-  
pārat, in votis vel primis esset.

Mortis ergo tandem post implexos, longisque do-  
lorum circuitus, compos effectus decepit, Propri-  
torum bonorum sarcinā pressus gravī; sed Operum pel-  
simorum mole longè graviore superobratus: qui  
buscum descendit ad rogos sempiternis incendijs z-  
stuantes. Id quod ei verbis minimē perplexis, ob-  
scurisve, Machabæorum fratum chorus, Antio-  
chiae quondam tostus, præfigavit. documento san-  
quām maximē formidando Principibus, ac Topar-  
chis illis, etiam pōst futuris, quibus non insontium  
modò spiritus ac vita ( pretiosum DEI munus ) inter-  
projectissima sunt: sed etiam Divina, Consecrataque,  
prædæ, questuique fiunt.



NAR.